

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertatio Philologica Qua Al Tehî Tsadik Harbeh Ve-'al Tirsha' Harbeh Sive Nimium Iustitiae Et Improbitalis Salomonis, Coheleth. VII. 16. 17. ...

**Clauswitz, Benedikt Gottlieb
Keyselitz, Gottlieb**

Lipsiae, 1721

VD18 11528834

§. XXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-130295](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130295)

Pfeifferus, (t) Adami. (u) Favet huic sententiæ, quod hoc monitum hujus generis sit, ut extra illud הרב רבא iudicium de aliorum vitiis & poena delictorum iudici liceat. Favet etiam illud, quod in taxandis aliorum vitiis & in suppliciis sumendis rigidiorum esse hominem variis periculis exponat. Verum usus ita supponitur צדיק & רשע quem quoad vocem צדיק invenire in S. Codice non licuit. Neque reliqua monita in hoc libro Salomonis hujus generis sunt, ut officium magistratus vel iudicis respiciant, sed potius communia officia præscribant.

§. XXI.

Cum vero nimie justitiæ vitium modo allegati auctores in excessu ponant, alii in defectu illud quærunt, ut iis adeo nimis justus sit, qui nimium clemens est. Prævit illis *Targum* in paraphrasi supra allegata. Ne sis justus nimis tempore quo impius reus occisionis est in domo iudicii tui ut parcas illi ita ut non occidatur. Hoc sequuntur plerique Judæorum interpretum *R. Sal. Jarchi* & alii. Ut hac in re officio suo deerat Saul 1. Sam. XV. 9. Amalekitarum regi contra divinum mandatum parcens, quem etiam קול seu vocem de cælo datam audivisse fingit Gemara Joma אל תהי צדיק הרב רבא, cum vero urbem Nobe summa crudelitate excinderet aliam eum vocem admonuisse: אל תרשע הרב רבא Jungi his posset *R. Abendana* qui nimium justum exponit de eo qui injusto invasori non resistit. Facile quidem in reliquis cum regulis nostris concilianda foret hæc sententia, in eo tamen insignis sese difficultas offert, quod Chaldaica & Rabbinis quidem usitata, non tamen quæ in f. litteris obtinet notione, vox צדיק & צדקה eleemosynam notat, vi cujus vocis צדיק esse posset is, qui erga alios nihil committit, quod illis mole-

(t) In Dub. Vex. Cent. III, Loc. XCVII, p. 667.

(u) In Delic. Bibl. V. T. An. 1700, Q. 315.

molestum esse possit, quod Coccejo, Michaelis & aliis interpretibus dudum fuit observatum.

§. XXII.

Alia ratione difficultates removendas esse ducunt, qui non de vera sed fictitia justitia sermonem esse existimant. Sentit ita ex nostris *Sebast. Schmidius* (x) vidi justum, i. e. *talem, qui nimiam sibi justitiam imaginabatur, quasi nihil peccati habeat, cum tamen re vera talis non sit, Deo exosum, ita ut perire cum ante tempus faciat: Contra vidi etiam impium sc. non nimium impium, i. e. qui agnoscebat se peccatorem esse, sed qui se per veram penitentiam sub Deo humiliabat, ex gratia Dei dies suos prolongasse. Ne ergo tibi majorem, quam revera habes, imagineris justitiam & sapientiam. At vero, noli hæc mihi eo detorqueere quasi hoc velim ut e contrario nimis malus & stultus sis, ab hoc ipso enim te quoque debitor. Facit hic cum Schmidio Michaelis, (y) & Amestus. (z) Spenerus quoque quoad interpretationem verborum versus prioris calculum suum huic sententiæ adjecit. Habet hæc sententia illud præcipuum, quod אל תתחכם יותר & אל תהי צדיק הרבה commo-
dissime sic conjungi possint, & quod versus nostri cum præcedente, si eum cum Schmidio exponas, satis apte connecti queant. Quin imo falsa illa persuasio hominem variis periculis exponit. His tamen inprimis Schmidii sententia difficultatibus premitur, quod versus priorē τὸν צדיק in oppositione ad τὸν רשע de vere justo accipere nolit, impium vero pœnitentem intelligat, cui tamen acceptioni usus vocis in f. literis repugnat. vide. §. XVII. Superflue quoque addita tum videtur vox הרבה cum etiam extra excessum falsa justitiæ persuasio ἀνομία esset. Dixisset ergo f. scriptor servata semel adoptata notione צדיק*

(x) In Commentar. in Coheleth, p. 220. fqq.

(y) Vol. II. Comment. in Hagiogr. V. T. Libr. p. 950. fqq.

(z) Lib. II. Theol. Conscient. Cap. II. §. 40.